



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 122. Perkinus dux personatus in Flandria apud Ducissam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. adjecit, ut simulatum ejusmodi Ducem, Eboracensem priori longe simillimum effingeret, cumque diu talem quæreret, tandem reperit adolescentem, cujus indoles commenti feliciter experiundi, nec spem nec desiderium reliquum fecerat. Is erat Juenis vulgo cognominatus Perkins, seu Petrekinus, vel etiam Warbekus, cujus Pater erat Joannes Orbek Tornacensis Civis, genere Judæus, sed ad fidem conversus, ejus vero Mater Catharina de Fare; cum vero parentes ejus negotii causa in Angliam iter instituerent, ibidem Perkins natale solum obtinuit, adhuc puer Tornacum ab iisdem reportatus, sed post aliquod temporis intervallum Anversæ cuidam propinquo suo educandus tradebatur, ubi de urbe in urbem peregrinandi consuetudo in eo longiorum itinerum accendit desiderium, atque assidua cum Mercatoribus Anglis negotiandi occasio illum Anglici sermonis peritum effecit.

## §. CXXII.

*Perkinus Dux personatus in Flandria apud Ducissam.*

*Bucchan. rer. Scot. l. 13. Bacon. hist. regni Henrici VII.* **P**erkinus ætate sua Eboracensem Ducem, si is vita superstes fuisset, ferme æquabat, insigni præterea venustate, & corporis pulchritudine dotatus erat, simul.

simulque dignitati, quam mentiebatur, congruam habebat staturam, vultusque lineamenta in eo generis nobilitatem præseferabant; studiose etiam in vulgus rumor spargebatur, illum eodem, quo Eduardus IV. Matrem ejus deperibat, tempore in lucem editum fuisse; nec modica huic famæ accessit auctoritas, eo quod certum esset, hunc ab ipso Eduardo e Baptismatis fonte fuisse susceptum: hunc igitur Burgundiæ Ducissa clam in Lusitaniam misit, ubi integro anno moratus, in Hiberniam navigavit, demum vero jam Eboraci Ducem ementitus, in Franciam appulsus est sub idem tempus, quo Carolus Galliarum Rex Henricum VII. bello petebat. Ast post exiguam in Galliis moram, in Flandriam reversus est ad Ducissam, quæ hunc sibi incognitum esse simulans, præsentibus quibusdam Proceribus, ex industria ab eo de fortunæ suæ casibus edoceri postulabat, postea de relationis veritate omnino persuasam se fingens eum velut Nepotem suum venerabatur, quam etiam nullis plane parcens sumptibus, omnibus disciplinis tanto Principi congruis imbui curabat, eumque plurimum proficientem cuncta Eboracensis familiæ arcana edocebat, ac proprio calamo præsentis illius in Londinensi turri captivitatis historiam elucubrabat, demum vero sua

Sæcul. XV.

A.C. 1494.

*Hist. Eccles. Tom. XXX, R r fa-*

Sæcul. XV  
A C. 1494.

sagacitate quæstiones, quæ ipsi forte objectarentur, prævertens, illum concinnis responsionibus scite instruxit: verbo, nil reliquum fecit, ut tanquam verus Eboracensis Dux crederetur.

## §. CXXIII.

*Perkinus in Hibernia velut genuinus Eboracensis Dux exceptus.*

**H**is præceptis secretissime instructus, Perkinus in Provincia Cantienſi exſenſionem facere aggreditur, comitantibus eum quam plurimis Angliæ Proceribus; verum minus benigne ibidem exceptus, in Scotiam vela protendit, ubi a Jacobo Rege hujus nominis quarto omni obsequiorum genere cumulatus, atque exercitu munitus, secundo in Angliam trajecit, minus adhuc consiliis ejus adspirante fortuna; a nemine enim Eboracensis Dux habebatur, unde in Hiberniam reversus est, ibique accepto nuntio de Corisopotanensium seditione, ab illis non solum Eboracensis Dux creditus, atque honoratus, sed etiam Regiis obsequiis affectus est.

## §. CXXIV.

*Conspiratio in Anglia in favorem Perkini.*

Præterea quidam factiosi, quorum consilia, pace Henricum VII. inter & Gallos